



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 76. Rex foederis caput sese declarans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

„ad comitia illos etiam vocabo, ex qui-
 „bus meus Senatus constat, quatenus
 „& hi de Ministrorum dotibus cogno-
 „scere possint: ego vero juxta eorum
 „consilia decisiones feram, illud tamen,
 „quod alii præter me decernunt, tan-
 „quam firmam legem acceptare ne-
 „queo.„ Ex hoc Regis responso Ordines
 haud obscure intellexerant, quod
 detecto petitionis suæ consilio nunquam
 finem intentum assecuturi essent, qua-
 propter opem in alio molimine quære-
 bant, proponentes, præprimis deci-
 dendum esse, an alia Religio præter Ca-
 tholicam in Regno toleranda foret.

§. LXXVI.

Rex fœderis caput sese declarans.

Sub idem tempus Protestantes Davi-
 dis Advocati libellum ad Papam de-
 latum, cujus supra meminimus, publici
 juris fecerant, illoque perlecto Rex tan-
 dem clandestina novi fœderis consilia
 subolere cæperat, ratus, quod fœde-
 rati sub specioso Religionis bonum pro-
 curandi obtentu re ipsa legitimam aucto-
 ritatem sensim deprimere, ac supremam
 potestatem in alium transferre medita-
 rentur: quapropter ex illo temporis
 articulo hanc factionem, quam penitus
 eliminare, ejusque consilia evertere
 haud poterat, saltem labefactare de-

Thuan. l. 63.
 Mezeray
 abreg. t. 5.
 pag. 353.
 Spond. n. 8.

Sæcul XVI
A C. 1576

creverat: ut vero ejus molimini secundus adspiraret successus, ac speciatim Guisii Ducis, quem fœderati tanquam Ductorem suum colebant, auctoritatem imminueret, ipsemet sacri hujus fœderis principatum sibi sumpsit, ac per Carolum Meduanæ Ducem cum Ordinibus egit, ut tanquam fœderatorum Dux ab omnibus reciperetur: quinimo ipse unacum omnibus Aulæ Proceribus sese hujus societatis legibus subscripsit, & quantocius Paritios, necnon in Burgundiam hosce articulos transmittit, ibidemque eos ab omnibus recipi jussit.

§. LXXVII.

Ordinum deliberatio circa Religionis articulos

Thuan. l. 63.
Avila l. 6.
Journal de
Bodin.

Interea Ordines assidue de Religionis rebus deliberare pergebant, ac præprimis decernebant, quod præter Religionem Catholicam nulla alia in regno toleretur: sibi enim persuasum habebant, quod nec Rex, nec Deputati sese tam pio consilio opponere audent, quamvis plures animo suo dissentirent; inde vero inferebant Ordines, quod acceptato hoc articulo de pace actum, ac bellum Calvinistis denuntiandum esset: eapropter Clericorum Ordo, ac præprimis Lugdunensis Archiepi-